



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pavli Fvschi Episcopi Sarnensis De Visitatione Et
Regimine Ecclesiarvm. Libri Dvo**

Fusco, Paolo

Romae, 1616

Pavlo Fusco Summae Religionis Viro, Sarnensi Episcopo, Et Doino suo.
Carolvs Montilivs Archiepiscopvs Amalphitanus, & Episcopus Viterbiensis.
S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61768](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61768)

PAVLO FVSCO
SVMMAE RELIGIONIS

VIRO, SARNENSI EPISCOPO,

Et Domino suo.

CAROLVS MONTILIVS ARCHIEPISCOPIVS
Amalphanus, & Episcopus Viterbiensis. S. D.



CCEPI litteras tuas ad octauum idus Februarij scriptas, quas vna cum praefatione in duos de Visitatione, & Regimine Ecclesiarum libros, ijs inclusa, eo libentius legi, quo te quotidie pro Religione Christiana vtiliora, felicioraq. commentari video. Multa (crede) quae pro populi salute a te profecta sunt, summopere me delectarunt; quaeq. nisi amplissima, vtilissimaq. esse praedicem, a viri probi officio prorsus discedam. Sed illud in primis mirifica quadam animum meum voluptate perfudit, quod ad D.O.M. cultum pietatem, & religionem conseruandam, & illustrandam, ad ecclesiasticam disciplinam restituendam, ad deprauatos hominum mores per episcopos reformandos, adeo praecclare, sancteq. a te constituta esse intelligo, vt nihil vquam pulchrius, nihil salubrius nihil atq. numeris omnibus absolutum a quoquam existimem, aut fingi possit, ne dum scribi, & in hominum manus tradi: scripsisti enim, & non nisi Deo inspirante, ac impellente collegisti, quae in omnibus patrum Concilijs, in omnibus Summorum Pontificum decretis, de Ecclesiarum visitationibus sparsa continentur, ita, vt quod quisq. in populum sibi creditum pastor praestare debeat, semper in promptu esse valeat, Visitaturi autem oues sibi commissas Episcopi hoc tuum praecclarum, & singulare opus saepe ante oculos habeant, boni pastoris exemplum, ac specimen singulare sibi ad imitandum propositum iutueantur. Vere a Christo Domino dictum est Petro, Pasce oues meas, pasce agnos meos, vere inquam ad sempiternam posteritatis memoriam, atq. vtilitatem a B. Paulo pastoribus scriptum est. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Hoc enim est, verbo doctrina exemplo, praesentia pascere, cum ouium nullus vsus (ait ille) si pastor absit. Hoc est ecclesiam regere: Hoc est sibi, & gregi vniuerso attendere? nimirum super gregem inuigilare? nimirum noctis vigilas custodire? nimirum frequenter visitare, fraterne errores corrigere, & in vinea domini debitum cultum ad vberiore fructum restituere. Haec sunt sacrorum Antistitum partes

partes, quas qui pie, ac religiose suscipit, & diligenter exequitur, is verum, & numquam satis laudatum pastoris, & patris nomen iure meretur, is demum a Spiritu sancto positus sibi primum, tum gregi vniuerso vere attendit, atq; inuigilat. Quæ omnia, & singula, qua quisq; ratione in visitationibus præstare facile possit, tu hac nostra tempestate, vnus omnibus quasi intento digito indicas, & aperte demonstras. Nonnulli quidem hanc eandem scribendi prouintiam susceperunt, sed veluti ij mihi videntur, qui ad bene, beateq; viuendum homines adhortantur, illi quidem multa de moribus disputant, multa de virtutibus comparandis differunt, multa etiam, ne in aliquo peccetur, proponunt, sed tamen nihil ipsi suggerunt, nullamq; rationem, quo nam pacto hoc fieri oporteat, legentibus afferunt. Tu autem, vt ex tua præfatione facile colligi potest (cum ex vnguibus, vt est in prouerbio cognoscatur Leo) quæ ad visitandi munus pertinent, ita vniuersa persequeris, ita explicas singula, & quæ a pastoribus in visitando administrari, quæque a populi præstari possint, & debeant, ita perfecte complecteris, & quibus adiumentis, & rationibus fieri valeant, ostendis, vt summam in hoc scribendi genere laudem, & gloriam adeptus, dignus sis, qui merito immortalitatis traderis, & commenderis. Quod autem me in illis scripsisti in multis, & Authorem appellas pro tua humanitate hoc esse vis, agnosco summam modestiam, & amabo semper incredibilem beneuolentiam in me tuam, quamquam enim, si recte memini, me consulente, & vt scribis hortante hæc a te scripta sunt, non patiar tamen, vt non rogem, & horter, vt ex se ipsis in hominum manus veniant, cum aliorum auxilio non egeant. Nemo enim, vel rogatus illius patrocinium suscipere, audet, qui sese, sua ipse virtute defendat, & tueatur, & hoc semper virtuti debetur tuæ, vt nisi ea, quæ tibi ex multis præclaris viris prompta esse scio, ex me quoque sint paratissima, ingratus & inhumanus iure videar. Vale, & me, vt facis ama. Viterbij Calendis Martij. 1581.



PAV-